

licet crepusculi matutini. Crepusculū autem uespertinum sic accipe: Indice horario sic disposito, pone gradum Solis oppositum cum quarta altitudinum, ad contactum horizontis orientalem, mouendo sphaeram cum quarta altitudinum, donec idem 18. gradus quartæ altitudinis cum nadir Solis correfpondeat, tunc enim erit locus Solis in hemisphaerio inferiori ex parte occidentis per 18. grad. almicantherat, & tunc index horarius tibi finem crepusculi uespertini notificat. Huius initium index horarius etiam tibi indicabit, si gradum Solis ad contactum horizontis occidentalis locaueris. Hoc idem per aliquam stellam inuenies iuxta præceptum capitis 46. hoc tamen notato, quod index horarius cum gradu Solis illius diei ad horam 12. meridiei traducatur, & demum fiet operatio ut supra.

Signum ascendens ac gradum atq; reliquorum trium angulorum signa, & gradus quacunq; hora deprehendere.

CAPVT XLVIII.



**V**AERE prius uerum locum Solis ad tempus tuum propositum, ad quod ascendens & reliquos angulos cupis, & illius ueri loci Solis quære ascensionem rectam iuuamine capitis 19. huius, cuius ascensionis rectæ serua numerum graduū ad partē, deinde adde huic ascensioni rectæ Solis pro qualibet hora postmeridiana tui propositi 15. gradus, & pro singulis quaternis minutis horæ, gradum unum, & numerum graduum sic collectum, locabis sub armilla meridiana, & quicunq; gradus Zodiaci in linea horizontali ex parte orientis apparuerit, ille erit gradus ascendens, siue horoscopus illius horæ propositæ, & gradus huic oppositus in linea horizontali ex parte occidentis, erit initium 7. domus. Item signum & gradus sub terra in hemisphaerio inferiori, in linea meridiana apparens, erit initium quartæ domus, & gradus huic oppositus supra terram sub linea siue armilla meridiana, erit initium decimæ domus. Exemplo accipe: Volo ascendens cum reliquis angulis post meridiem hora 4. Sole 10. gradum Scorpij occupante, in regione cui polus mundi 49 ½. gradibus extollitur, inuenio huius loci Solis ascensionem rectam 218. ferè gradus, cui addo pro 4 horis post meridiem 60. gradus, & colligo 278. gradus, quos sub armilla meridiana locabo, & apparabit in horizonte orientali 18. gradus Arietis ascendens, siue initium primæ domus, & ex parte occidentis supra contactum horizontis 18. Libræ, initium septimæ domus, & sub armilla meridiana supra terram 8. gradus Capricorni, initium decimæ domus, & ex opposito huius sub terra 8. gradus Cancrī, initium quartæ domus.

Hoc idem aliter per indicem horarium prompte capere.

CAPVT XLIX.



**V**PPONE gradum Solis tui diei armillæ meridianæ, & in tali situ duc etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam, & eum custodi inuariatum: deinde duc eundem indicem sic infixum globo, mediante globo ad horam tuam propositam, ad quam ascendens cū reliquis angulis scire cupis, & eo sic disposito, uide ad contactum horizontis orientalis cum ecliptica, nam gradus & signum ibidem apparens, est signum & gradus ascendens tui propositi, reliquos tres angulos quære in suis locis ut supra, & hoc in tali etiam situ sphaeræ.

Idem